Ex operibus impr. Hosii

72

# Sigismundo augusto regi Poloniae Stanislaus Hosius

Consilium dat, quid sit respondendum haereticis petentibus usum confessionis Augustanae.

Proficiscitur isthuc Georgius Clenfeldius consul Gedanensis qui siquid extra causam religionis a majestate vestra petierit, felicem illi successum precor. Si vero quod metuo, confessionis Augustanae confirmationem obtinere conabitur, quandoquidem quamvis indignus consiliarius vestrae majestatis sum tamen quid illi respondendum esse censeam in scheda praesentibus inclusa paucis perscripsi. Si schedam hanc responsi loco V. M. illi dederit, vere Christiani catholici et orthodoxi regis officio functa fuerit. Quaeso per viscera misericordiae Dei, ut se Catholicum regem esse aperte declaret nulla prorsus usa cunctatione. Reipsa Vestra majestas experietur si quid huic meo consilio loci dederit, quod omnium deinceps consiliorum suorum est multo feliciores progressus et exitus habitura. Paulus ad Ephesios cap. 4. Unus Deus una fides, unum Baptisma, unus Deus et pater omnium etc. Hilarius ad Constantium augustum: Cum secundum unum Deum et unum dominum et unum Baptisma etiam fides una sit, excidimus ab ea fide, quae sola est, et dum plures fiunt, ad id coeperunt esse ne ulla sit. Idem ad eundem. Quidquid praeter unam fidem est, perfidia non fides est. Unum dominum agnoscimus, unam fidem, unum baptisma unum Deum et patrem omnium confitemur. Unum Deum patrem nostrorum, unam fidem patrum nostrorum si quid extra fidem illam concesserimus perfidiae concesserimus. Quod procul absit a rege Christiano Catholico et orthodoxo: quamobrem perfidiam a nobis approbari nemo petat, multo minus a nobis contendat aliquis, ut majores nostros, quos pie Deum coluisse, quin et vita sanctitate atq miraculis claruisse constat perfidiae condemnemus. etc

Jasieński